



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XLVIII. De die æternitatis, & hujus vitæ angustis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

4. O si tibi hæc saperent, & profundè ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri?

Nonne pro vita æterna, cuncta laboriosa sunt toleranda?

Non est parvum quid perdere aut lucrari regnum Dei.

Leva igitur faciem tuam in cœlum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuere certamen, modò gaudent, modò consolantur, modò securi sunt, modò requiescant,

& sine fine mecum in regno

Patris mei permanebunt.

C A P U T XLVIII.

*De die aeternitatis, & hujus vite
angustiis.*

1. **O** Superiore civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat; dies semper lœta, semper secura: & nunquam statum mutans in contraria!

P 3

3. O

O utinam dies illa illuxisset , & cuncta hæc temporalia finem accepissent !

Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida , sed non nisi à longè & per speculum peregrinantibus in terra.

2. Norunt cœli cives quàm gaudirosa sit illa: gemunt exules filii Evæ, quòd amara & rædiosa fit ista.

Dies hujus temporis parvi & malii , pleni doloribus & angustiis ; Ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur , multis curis distenditur , multis curiositatibus distrahitur , multis vanitatibus implicatur , multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur , deliciis enervatur, egestate cruciatur.

3. O quando finis horum malorum ? quando liberabor à misera servitute vitiorum ?

Quando memorabor , Domine , tui solius ? quando ad plenum lætabor in te ?

Quan-

Quando ero sine omni impedimento in vera libertate , sine omni gravamine mentis & corporis?

Quando erit pax solida , pax im-
perturbabilis & secura , pax intus &
& foris , pax ex omni parte firma ?

Jesu bone , quando stabo ad vi-
dendum te ? quando contemplabor
gloriam regni tui ? quando eris mi-
hi omnia in omnibus ?

O quando ero tecum in regno
tuo , quod præparaſti dilectis tuis
ab æterno ?

Relictus sum pauper & exul in
terra hostili , ubi bella quotidiana ,
& infortunia maxima .

4. Consolare exilium meum , mi-
tiga dolorem meum , quia ad te fu-
spirat omne desiderium meum .
Nam onus mihi totum est , quid-
quid hic mundus offert ad solatium .

Desidero te intimè frui , sed ne-
queo apprehendere .

Opto inhærere cœlestibus , sed
deprimunt res temporales , & im-
mortificatæ passiones .

Mente omnibus rebus superesse volo, carne autem invitè subesse cogor.

Sic ergo homo infelix mecum pugno, & factus sum mihi metipsi gravis, dum spiritus sursum & caro quærerit esse deorsum.

O quid intus patior, dum mente cœlestia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti? Deus meus, ne elongeris à me, neque declines in ira à servo tuo.

Fulgura coruscationem tuam, & dissipa eas: emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes phantasias inimici.

Recollige sensus meos ad te: fac me oblivisci omnium mundanorum: da citò abjicere & contemnere phantasmata vitiorum.

Succurre mihi æterna Veritas, ut nulla me moveat vanitas.

Adveni cœlestis suavitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas.

Ignosce quoque mihi, & misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo.

Con.

Confiteor etenim verè, quia valde distractè me habere consuevi.

Nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo: sed ibi magis sum, quò cogitationibus feror.

Ibi sum, ubi cogitatio mea est. Ibi est frequenter cogitatio mea, ubi est quod amo.

Hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter delectat, aut ex usu placet.

6. Unde tu Veritas apertè dixisti : Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Si cœlum diligo, libenter de cœlestibus penso.

Si mundum amo, mundi felicitatis congaudeo, & de adversitatibus ejus tristor.

Si carnem diligo, quæ carnis sunt, sæpè imaginor.

Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector.

Quæcunque enim diligo, de his libenter loquor, & audio; atque talium imagines mecum ad domum reporto.

Sed beatus ille homo , qui propter te , Domine , omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit : qui naturæ vim facit , & concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit : ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat , dignusque sit angelis interesse chorus , omnibus terrenis foris & intus exclusis.

C A P U T X L I X .

*De desiderio æternæ vite , & quanta
sunt certantibus bona promissa.*

I. **F**illi , cùm tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundi sentis , & de tabernaculo corporis exire concupiscis , ut claritatem meam sine vicissitudinis umbra contemplari possis ; dilata cor tuum , & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe .

Redde amplissimas supernæ Bonitati gratias , quæ tecum sic dignanter agit , clementer visitat , ardent

ter